



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 80. Imperator Hungariæ & Bohemiæ Reges placare intentus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)



Sæcul. XV.  
A. C. 1458.

ca conjurationis tempestas ob violentiam potentissimorum Principum, qui turmatim confluerant, usque adeo increverat, ut eorum furor jamjam Cæsaris capiti impendisset, nisi fortunæ subsidio, ac Brandeburgensis Marchionis favore, qui conspirantium audaciæ pro viribus resistebat, ipse periculum evitasset, & ab exitio vix declinando liber evasisset.

§. LXXX.

*Imperator Hungariæ & Bohemiæ  
Reges placare intentus.*

Equidem Imperator Matthiam & Podiebracium sibi conciliabat; cum horum primo Bohemiæ coronam redderet, alteri vero ampliora dare clam polliceretur. Præprimis autem Podiebracio spondit, quod in posterum nullo pacto eum in Regni sui possessione turbaturus, imo potius ipsi Pontificem, quem eidem minus propensum noverat, foret devincturus. His addidit Cæsar, quod tanta etiam solertia ejus commodis, utilitati-que apud sacram Sedem servire velit, ut semper prohiberetur Pontifex, ne quicquam Bohemici Regni juribus adversum moliri posset. Rebus ita a Friderico Cæsare compositis, conjurationis tempestas ita sedata est, ut jam totus Cæsaris furor in reliquos factionis socios sese atrocius



cius effunderet. Verum cum S. R. I. E-  
 lectorum, qui adhuc conflatae seditioni  
 implicabantur, vel potentiam vereretur,  
 vel forte tot Principum invidiam uno  
 tempore in caput suum accersere nollet,  
 contra illos nihil tentavit, sed unice vin-  
 dictam exercuit in Albertum, & Sigis-  
 mundum sibi sanguine junctos, qui tamen  
 in Cæsaream Majestatem suam atten-  
 tatae conjurationis Auctores præcipui e-  
 rant. Ceterum ut absentiae suæ a Con-  
 ventu Mantuano rationem obtenderet, o-  
 mnes hæc domesticas turbas Pontifici  
 exposuit Imperator.

Sæcul. XV:  
 A. C. 1458.

§. LXXXI.

*Neapolis Regnum Ferdinando a Papa  
 assertum.*

Interim, cum per Callisti Pontificis obi-  
 tum cuncta sublata essent obstacula,  
 quibus Ferdinandus hucusque præpedie-  
 batur, ne Neapolis Regnum jure fiducia-  
 rio acciperet, ac ejus corona insigniretur,  
 hinc Pius II. Callisti Successor hujus Re-  
 gis gratiam sibi demerendi opportunita-  
 tem gratulabatur, spe concepta, fore, ut  
 illius auxilio munitus, Assisium, Nuce-  
 riam, Galdumque recuperaret, quas ur-  
 bes Picinus defuncti Regis Alphonsi  
 Bellidux cum ejusdem copiis ceperat, si-  
 bique hucusque vendicaverat. Nec sua  
 Pontifi-

N n 5

Pontifi-